



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 25. Quomodo Barrabam Christo Iudæi prætulerint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)

stum, sed remittit etiam indutum veste alba & ridicula, ut eum alijs similiter deridendum praberet. Id nos imitamur, quoties nō contenti in animo iudicare de proximo, sed verbis etiam ad audientes proferimus, ut & apud illos existimationis iacturam faciat.



MEDITATIO

VIGESIMAQVINTA.

QVOMODO BARRABAM
Christo Iudai prætulerint.

EVANGELIVM.



CONGREGATIS LUC. 23.
igitur principib⁹ Sa-
cerdotum, & magi-
stratib. & plebe, dixit
ad illos Pilatus: Ob-
tulistis mihi hunc hominem, quasi
auertentem populum; & ecce ego
coram vobis interrogans, nullam
K 2 caussam.

causam inuenio in eo. sed neq; Herodes. Nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte factum est ei. emendatum ergo eum dimittam. Per diem autem solemnem consueuerat Præses dimittere populo unum vinctum quem voluissent. Habebat autem tunc unum vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas, qui erat propter seditionem factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem, Congregatis ergo Iudeis, dixit Pilatus. Quem vultis vobis dimittam, Barrabam an Iesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. Principes autem Sacerdotum persuaserunt populo, ut peterent Barrabam; Iesum verò perderent. Respondens autem Præses ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? Tunc omnes vna voce clamabant dicentes: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Respondit iterum Pilatus, quid igitur faciam de Iesu: qui dicitur Christus? At illi dixerunt: Crucifige, crucifige eum.

FIGV.

*Matt. 27.**Marc. 15.**Ioan. 18.*

FIGVRA.

LEPROSVS, à lepra curatus *Leuit. 14.*
duos offerebat passeres Sacerdoti, quorum alter offerebatur in sacrificio pro eius emundatione, alter demittebatur liber.

PROPHETIÆ.

LAPIDEM quæ reprobauerunt adificantes, hic factus est in caput anguli. *Psal. 117.*
 Id est, Christus, quem lapis ille designabat, cum à Iudæis coram Pilato esset reprobatus, factus est caput duorum populorum: Iudæorum & Gentilium, &c.

Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectionis plebis. Psal. 22.

Et eligent magis mortem quam vitam Hier. 14.
omnes qui residui fuerunt de cognatione hac pessima.

CONSIDERATIONES.

PILATVS, remissum ad se Iesum, *1. Pun. 24.*
 tum eius innocentia, tum misericordia, quod ita eum irrisum & miserè habitum videret, permotus liberare conatus est, idq; & primùm iustitiæ, deinde misericordiæ rationem tentans. *Principio.*

cipio negat se causam mortis inuenire in illo, ne Herodem quidem damnasse illum capitis. Deinde, quanquam esset in eo aliquid culpæ, tamē cum esset consuetudo die festo solemnī dimitti vnū ex vinctis, egit, vt id Christo daretur, quod quā facilius impetraret à Iudæis, vnā cum Iesu sceleratissimū quendam proponit, nihil dubitans quin illi præferretur Christus. Vide quanta fuerit Christi solitudo, in tanta multitudine repertus est nemo, quem eius caperet misericordia, aut qui eum defenderet: vt necesse fuerit Pilatum hominem impium & idololatram eius patrocinium suscipere.

Iudæi accepta à Pilato eligendi potestate, vna voce omnes Barrabam potius dimitti postulant. O popule verē ingræte & duræ cervicis, qui oblitus à Christo mortuos tuos ad vitam reuocatos, petis eum dimitti, qui viuos trucidauit, vt latroni, qui alios vita spoliât, vita donetur, & innocens Iesus, qui se suaque omnia in beneficia tibi collata, tuamque salutem impendit, morte multetur. O insatiabilis feritas Iudæorum! ô commutatio infelix. In eligendo præferunt lupum agno; hominem odio dignum & sceleribus coopertum, vero iusto & innocenti

nocenti: impium denique & cruentum
latronem auctori vitæ. Miseri Iudæi qui
mortem vitæ prætulistis: certè enim
dum repudiatis Christum, qui est vita
nostra, elegistis vnà cum Barraba mor-
tem sempiternam.

Considera quantum mærois & acer-
bissimi doloris, fuerit in corde benedi-
cti Iesu. Etsi enim propter nos contem-
tum illum lubens ferebat; tamen sen-
tiebat ingratiſſimos populi sui animos,
nec poterat non dolere, de tam horribi-
li & enormi peccato. Vide Sanctū San-
ctorum cū scelerato latrone componi: &
populo iudicium deferri, vter sit melior
aut vita dignior, quo iudicio Christus
ab omnibus reiectus & peior habitus:
eique nefarius latro prælatus est.

Vide quàm acerbis odio atque inui-
dia cæcati sint Iudæi, qui ne suo quidem
nomine dignantur appellare Christum,
quod fecerat Pilatus; sed non hunc, in-
quiunt, sed Barrabam, quasi dicerent:
Ignotus est nobis hîc homo, hunc
quem non nouimus, nolumus. O fa-
tui Iudæi! hîc est, qui leproſos morbo
liberat, qui ægrotationes alias depellit,
qui mortuos luci restituit, qui vos docet
viam salutis, non nouistis hunc, & ta-
men è viuis sublatum cupitis: eum verò

qui innocentes bonis & vita exuit, petitis à morte liberari. Quæ grauior iniustitia vnquam sub Sole esse potuit. Sol ipse, credo, ad tam indignam iniuriam Creatori suo illatam radios retraxisset, flamma cælo delapsa esset, terra discelsisset atque impios illos absorbuisset, nisi Dominus ipse, ne qua parte passionem suam impediret, naturas coercuisset. Vbi attende profundissimam Christi humilitatem, voluit enim mori non modo vt reus mortis omnium ignominiosissima; verum etiam cum homine illius tēporis omnium scelestissimo voluit cōparari, & voce publica pronunciarī, latrone tali peior & morte dignior.

Sed dic mihi, Domine mi, quamuis lubenter pro nobis mortē subires; idcirco enim in mundum veneras: tamen cum tantam videres in nobis ingratitude, tantam malitiam, quæ non solos indignos hoc beneficio, sed etiam supplicijs infinitis nos dignos efficeret; quomodo nunquam tibi in mentem venit, vt sineres nos in nostris miserijs volutari: tanquam pœnitens boni, quod nobis facere cogitāras? aut quomodo non aliqua saltem ex parte remisit se ardor desiderij tui, cum appareret nimium hoc esse, vt tanta ferres pro tam indigna
&c.

& rebelli gente? O dulcis Iesu, etiã omnes nostræ in te iniuriæ, ligna erant ardentissimæ tuæ flammæ suggesta, & quasi ventus quidam vehemens, quo scapha desiderij celerius deferretur ad portum. Quare quò maius erat odium, rabies, & furor inimicorũ in te; eò maius erat gaudium tuum, quod hoc modo videres facilius te expleturum desiderium tuum moriendi pro gloria Patris, & nostræ naturæ redemptione. Hic ignis caritatis tã vehementer in te exarserat, vt omnia flumina suppliciorum, iniuriarum, & molestiarũ huius mundi eum non potuerint extinguere.

Quod si alio modo rem perpendamus, nisi Iudæorum propositum fuisset malum, admodum conueniens erat hæc petitio Iudæorum, & iusta Pilati sententia. Vox enim populi huius, Barabæ dimissionem & Christi mortem urgentis, vox erat totius humanæ naturæ, & sententia à Pilato pronunciata, erat sententia diuina: ipsa enim veritas inquit, non alio fine se venisse in mundum, nisi vt daret animam suam in redemptionem pro multis. Barabæ autem latro & homicida nihil indicabat aliud quàm primum nostrum parentem, qui verus latro fuit, cùm contra Dei voluntatem

MARC. 10.

tatem & iussum arboris vetitæ fructum rapuit, fuit & homicida, suo enim peccato omnibus posteris sententiam mortis imposuit. Hæc illa grandis contentio inter iustitiam & misericordiam orta, apud æternum & supremum iudicem. Addebat Iustitia honorem filij Dei rebus omnibus præferendum, hominem, qui iniuste diuinã sapientiam & similitudinem affectarat, in sua damnatione relinquendum. Misericordia vicissim partes agens humanæ nature clamabat, & pijsimum Patrem deprecabatur, vt quoniam neque in cælo, neq; in terris alius esset, auxiliij ferendi modus, dignaretur homines dono filij sui, qui nostra indutus carne, & anima posita, pro soluendo peccati debito, homini peccatori vitam redderet.

COLLOQVIVM.

ROGA Christū D. N. per insignem illam demissionem, qua à ludæis reijci voluit, non indignans antelatum sibi Barrabam hominem scelestum, se verò morte dignum iudicatum: det tibi gratiam, vt quanto tu ipso inferiores, tanto desideres ardentius à mundo reijci, teque ipsum nouissimum inter omnes agnoscas, & submittas, neque vllō
respe-

respectu aut timore humano virtutis studium, ipsiusque obedientiam deferas: sed ipsum semper præter res omnes, præter tuam vitam ames, timeas, & colas.

DOCUMENTA.

1. *SI quando bene agentes in mala sumus existimatione, peiusq; de nobis homines, quàm de ijs, qui nobis longè nequiores sunt, iudicant; adhibenda est patientia: cum Christus Barraba scelestior habitus sit.*
2. *Barrabam præponimus Christo, cum nostra iudicia aut voluntates, Superioris sensui & voluntati præferimus. Item cum virtuti vitium, spiritui carnem, honorem mundi honori Christi, sæculum religioni præponimus.*
3. *Cum lente in aliquas imperfectiones trahimur, vel ne hominibus iniucundi sumus, vel ut nobis iucundi, similes Pilato sumus, qui ne quid Iudæos offenderet, sed eos in gratia conseruaret, dimisit Barrabam, & tradidit Christum.*
4. *Nos qui profiteremur sequi nos Christum, caritatē eius æmulari debemus, ut vitam, cum res aut salus proximi flagitat, lubentes profundamus. Quemadmodum Christus, ut Barrabā humani generis*

ris imaginem liberaret, ipse se condemnandum tradidit.

5. Quàm saepe fit, ut diuina inspiratio intus loquatur & suadeat, ut liberemus Christum, siue peccato aliquo omittendo, siue occasione tollenda: at nos vel operis difficultate, vel negligentia vincendi nos ipsos respondemus: *Viuat Barrabas, & crucifigatur Christus.*

6. Non debet nos paupertatis, vilium officiorum, existimationis apud homines exiguae pudere, neque enim puduit Dominum nostrum Barraba non modo comparari, verum etiam posthaberi.